



Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In quo hæreses & mores Pelagij contra naturæ humanæ sanitatem,
ægritudinem & medicinam ex S. Augustino recensentur ac refutantur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

Praefatio In Pelagivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13650

SYNOPSIS VITÆ AVCTORIS.

posse. Hinc viri multi spirituales & eruditæ seculares, Regularesque currenti se p[ro]fissione calcar addiderunt, ut opus inchoatum deproperaret, ne, quod Veneri Apellis accidit, morte intercep[ta]tus, non inveniret qui ad prescripta lineamenta auderet succedere. It[em] se quoque hoc opere unicè natum, & ubi absolvisset, paratissimum se mori dictitabat. Quod ei profecto evenit. Nam pestilentia & lethali morbo corruptus, moribundā manu novissimas lineas duxit, & in fine ac ipso p[ro]fecto perfecti operis (res admiranda, & providentia Dei argumentum singulare) finivit & vitam. Nec alia testamenti ejus cura sollicitior, quam ut fideles amicos regaret, ne fatus insinu[er]et, ut credebat, diuino totu[m] vigilis & laboribus a se efformatus supprimeretur, & non veniret ad partum.

Antequam extingueretur, inter lacrymas & singultus (audita à Cappellano qui ejus exceptit confessionem, narro) totius vita delicta Sacramentali poenitentiâ expiavit. Alors vita sonillima. Hanc enim pie semper & religiosissime traduxerat. Nec superstitionis tamen, aut scrupulosus erat, sed mascula pietate, & ferventi presertim charitate in Deum & propinquos a. d. bat. In pauperes largus, restrictius in se. In mensa cum leproso siccus tam[en] semper: & cùm interdum ad praudia, quæ detrectare non poterat, invitaretur, aiebat, se ire ad poenitentiam. In epulis enim luci[m] animi ejus facile ad vertisses, ne pars superior, pruritu[m] voluptatis dehaberetur in concupiscentiam. Omibus vero tentationibus meditacione matutina se preparabat, quam quotidie hora quarta, aut maturius, studijs premittebat, repetebatque vespere ante quietem; & totus re verâ dies nihil ferè aliud erat, quam iugis Dei, meditatio, aut diuinorum.

PRÆFATI O IN PELAGIV M.

DE Pelagiana & Semi-Pelagiana hæresi scripturus, nihil ordinatus à me fieri posse arbitratus sum, quam si ante omnia distinctè totam naturam istius hæresis Lectorum intelligentiæ exponerem. Frustrâ enim in refellendis erroribus laboraveris nisi omnes anfractus ejus penetrando, fallaciam ejus omni ex parte perspectam habeas. Quod non nisi partim ex ipsa historica tertim gestarum fide, partim ex dogmatum universorum serie & genuino sensu, prout eum & Hæretici ipsi tradiderunt, & oppugnatores eorum Catholici Doctores expresserunt, obtineri posse censiui. Itaque historiam Pelagianam, velut totius operis basim sternam: cui mox omnium dogmatum Catholicon & veram eorum intelligentiam, quanta potuero veritatis cura subtexam. Neque enim exigua aut vilis de nonnullis eorum controversia est, dum alij aliud eos asseruisse, aliove quæ docuerunt sensu intellexisse contendunt. Quo effectum est, ut quædam Pelagianis non ignobiles hujus ævi Scriptores imposuerint: quæ nunquam vel per somnum cogitaverunt; quædam itidem ab eorum sententijs re-

mcv-

P R E F A T I O

inoverint, quæ pertinacissimè docuerunt. Quod quidem forsitan non tam Pelagianæ hæreseyos declarandæ, quam luæ opinionis astruendæ conatu, neque tam sincerissimæ veritatis, quam partium studio, subinde factitatum esse facile credi potest. Ut enim quodque vel intentiæ quam arriperant fulciendæ servire videbatur, vel adversariæ insamædæ opportunū, mox idem Pelagio adimendum vel tribuendū esse censuere: usque adeò, ut etiam nonnullas ejus captales opiniones, & à Concilijs Ecclesiæ Catholice condemnatas, quas somnolenta quadam Augustini inspectione, illius Sancti disputationibus defensas fuisse nonnulli existimarunt, etiam sibi tuendas, doctrinæque suæ veluti fulcra substituendas esse judicaverint. Quæ sive licentia, sive negligentia, in rebus tam arduis delicatisque, quam sit fidei Christianæ periculosa, nihil opus est verbis exaggerare. Hoc enim agitur, ut tales dogmatis cuiuspiam Pelagiani ignorantia abrepti, vel dissimulata facie seducti, quo securius in suis disputationibus velificantur, eò in opinatiis naufragium faciant: ac dum fidem suam integerrimam esse sentiunt, subito detectâ veritate, doctrinam suam errori cuiquam vicinam vel obnoxiam esse mirentur. De quo jam inde ab initio salubriter monuit ille:

*Præf. term.
de ingratis.*

Et causam exprimens:

Fronte placent, quæ fine latent.

Ab honesto

Principio in vitium exitur plerumque tumoris.

Tanta est enim dogmatum istorum superbissimorum cum corrupta per superbiam ratione consensio, tantum in illis quasi Syrenibus pru- rientium in suam laudem & admirationem animorum lenocinium, ut nisi coelestis illa gratia quam illa à fronte, à tergo, à lateribus impetunt, aures eorum qui in hoc perturbatissimo doctrinarum confusif- simarum pelago præternavigant, obturaverit, animumque eorum au- toritati immobili D. Augustini veluti malo alligaverit, vix vel nullo proflus modo fieri possit, quin aliqua ex parte pestifera eorum dulce- dines educantur. Quod multo luculentius tot insignium sive doctrinā, sive pietate virorum lapsus jam inde à condita Christi Ecclesia & ante conditam (ut suo loco dicendum est) patefecerit, quam ego differen- do persuasero.

Accedit aliud non minus periculosum, quod hæresi Pelagianæ inter omnes quæ in Ecclesia graviatæ sunt, singulare esse demonstratio, & qui cum illa luctati sunt gravissimi sanctissimique diuinæ gratiae de- fensores, veluti tesseram ejus propriam tradiderunt. Observatum est enim tantam inter errores Pelagianos esse connexionem, ut si vel unica unius Semi-Pelagiani dogmatis tenuissima extrema que fibra, quam vix oculis assequatis Lyncais, reservetur, tota superbissimi illius er- roris moles cum omnibus dogmatum pestiferorum ramis reviviscat, & prodeat. Ut nullibi sortassis aptius veriusque dici possit. Quicun- que totam doctrinæ Catholice veritatem servaverit, offendat autem in uno facilius est omnium eous. Hinc D. Leo: *Norimus haec eorum esse versuum,*

III m

Iacobini.

P R A E F A T I O .

*ut in quacunque particula dogmatis execrandi, qua se à damnatorum societate discreverint,
nihil sibi sensuum suorum existimant esse non salutem. Quod ante ipsum observa-
verat, atque à totius Africæ vigilantissimis Antistitibus perspectum
fuisse cecinerat Prosper:*

*Carm. de in-
gratu c. 8.*

*Mille senum prudentia per vigil olim
Perspicuum notumque tenens, quod tota nefandæ
Hæreseos summa exigua sub parte tegatur,
De qua plena mali labes renodetur, & omne
Commenti corpus per singula membra resurgat.*

Nam quemadmodum ansulæ catenarum sibi in nexæ sunt & pœ-
plexæ, ut qui unam arripuerit, etiam ceteras attrahat; ita si Pelagiō
tantillum dederis, danda sunt omnia; usque adeò, ut qui unicam an-
guis illius mortui palpitationem quovis verborum præstigio, vel er-
roris minus perspecti fucodelusus, in sinu foverit, omnem ille veram
gratiam extinguere, veram pietatem interficere, peccatum originale
tollere, scandalum crucis evacuare, Christum ipsum abijcere, diabo-
licæ supremæque superbiæ thronum velit nolit, erigere convincatur.
Etiem. Ep. ad Clesip. Quæ sententiarum sceleræ, sicut Christiano sensu detestamur & ex-
horrescimus, ut etiam intelligentiæ vivacitate fugiamus, operæ pre-
tium me facturum esse arbitratus sum, si ante omnia cunctas dissimu-
latissimi erroris ambages rimando, omnes anfractus, quantum Deus
dederit vires, excuterem, tortuosumque colubrum suis latebris extra-
ctum soli exponerem, ne quis licentius vel minus cautè fortassis per
plausibilis alicujus doctrinæ campos vagando à latente in herbis angue
mordeatur. Etenim rectissimè jam olim dixit magnus quidam istius
Ibid. infra. hæreseos Antagonista. *Ecclesiæ Victoria est vos aperte dicere quod sentitis, senten-
tias vestras prodidisse. Quia de causa obsecro? Patet primæ fronte blasphemia.*
Non necesse habet convinci, quod suā statim professione blasphemum est. Ut nihil mi-
rum videri debeat, si quis in assequenda versipellium istorum mente
fallatur. Familiare namque huic callidissimo errori semper fuit per
mille viarum insidias iter opertum agere, & sub doctrina sanæ verbis
latitando in publicum Catholicâ larvâ prodire. Hinc cum Julianus ali-
quando hæretico studio ambiguam sententiam protulisset; *Tu autem,*
L. lib. 4. cont. Zul. 3. inquit Augustinus oculatissimus ejus delector, *quanta arrogantia & ve-
stra præsumptione virtutis hoc dixeris, ille non agnoscit, qui dogmata vestra non novit.*
Sed tanquam tibi ipse de nimia vestra præsumptione erubueris, ita sententiam temperasti,
Zib. de pec. orig. c. 18. ut & vestra & nostra possit voce defendi. Sed quæscimus, ut adiicit statim, *quid sen-
tientias, nescire non possumus quomodo ista dicatis.* Et aliam ipsius Pelagi hæ-
reticarum exagitans: *Vide latebras, inquit, ambiguatis falsitatib[us] preparare re-
fugia, offendendo caliginem veritatis, ita ut etiam nos cum primum ea legimus recta vel
correcta profemendum gauderemus.* Denique totâ disputationis mole de sum-
Degrat. Chrysost. 47. matri cū Pelagio Celestioque decernens, videte quiddicat: *Potest
Pelagius se latebris obscuritatis hujus involvere, ut etiam ijs que à S. Ambrofio conscri-
pta possumus, consentire se dicat, & ea se quoque sentire proclamet, semperque sensisse,
atque ita singula conetur exponere, ut etiam ejus sententiae convenire credantur. Om-
nino*

P R A E F A T I O.

āīnd verissimē, nam præter ista affectata ambiguitatis latibula, ex quibus hæreticus profiliebat sensus alia in hoc argumento peculiaris obscuritas occurrit, sub qua non modo Pelagiani, sed quotquot etiam postea Catholico nomine divinæ gratiæ struxerunt insidias, imperitorum oculis latuerunt. Nam ista quæstio ubi de libero arbitrio & gratia disputatur; ita est ad discernendum difficultis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur, quando autem afferitur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri. Ex quo arctissimo liberi arbitrij gratiæque nexu fiebat olim, ut cùm Pelagiani, imprimis que Massilienses Catholicorum de gratia voces exponendo, pro se raperent, Catholici verò liberi arbitrij officia, compellente veritate faterentur, Hæretici veræ gratiæ munera, Orthodoxi arbitrij vires in speciem extollerent: cumq[ue] esset inter eos de tota possessione contentio, de solis terminis quodammodo esse videretur. Ex qua etiam discernendi difficultate, similitudine vocabulorum quibus utrumque sine veritatis præjudicio utuntur, - nascitur, ut nisi eruditissimi cuiusque vigilantia solerter dispiciat, quid in sensu Hæreticorum adimat etiam vera gratia, quid liberi arbitrij concursus juxta S. Augustinum afferat, ludificatis oculis error sese loco veritatis insinuet, ita ut nesciendo quid alterutri senserint, quid alteri in alteris reprehenderint loco antidoti ipsum pestilentiae virus hauriant. Quid enim aliud causæ fuisse suspicemur, cur quidam libri erroribus Pelagianis refertissimi in hodiernum usque diem à doctissimis quidem viris, sed minus quam oporteret Pelagianas versutias penetrantibus, Catholicissime censeantur? Quid item aliud, cur palam dogmata quædam antiquitus reprobata, tanquam nullo errore inquinata tueantur, nisi quod ne-
sciant, præclaris alioquin pietate viri, lepræ candorem à sanitatis luce discernere? Neque enim ut in alijs plerisque erroribus usu venit, sensus Pelagianorum verbis, sed verba sensu plerumque metienda sunt. Nam latius, quam vulgo putatur, patet, quod August. dixit: *Qui scimus quid sentiat, nescire non possumus quomodo ista dicatis.*

*q. 10. r. 10.
cap. 3.* Istæ igitur causæ sunt, cur hunc laborem, quem non inutilem fore spero, suscipiendum esse iudicavi, ut detectâ larvâ totum fucatissimi illius erroris corpus, cum omnibus ossibus atque nervis quibus sustentatur, & venis, quibus incrementum sumpsit, usque ad ultimam unctionem, quibus dignosci potest, omnium oculis subjiciatur. Adam & ætates varias quibus adolevit, status, quibus instar Prothæ vultum mutavit: genus denique ac majores, quibus præsatus est; progeniem, indolem ac machinationum omnium scopum. Quam sententiarum Pelagianarum telam ab ipsa hominis conditione orsus, per lapsum ejus & reparationem quæ per Christum facta est quam brevissimè & veracissimè potuero octo libris pertexam: quorum primus rerum ab Hæreticis istis gestarum historiam, ac damnationis modum complectetur; septem reliqui in eruendis, & intelligentiæ subiiciendis eorum dogmatibus versabuntur.

C O R N E-